



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm I. Sed hoc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Rostquam dictum est de testamento, & alis ultimis voluntatibus, conveniente ordine agitur de ijs heredibus, qui non ex testamento succedunt (quia vel nullum factum fuit, vel non legitime factum *L. ult. familia hercisunda*) sed ab intestato, sive cognationis, sive alio jure.

CAPITVLVM I.

Sed hoc.

PARAPHRASIS.

Episcopi, presbyteri & alij Clerici, quæ per hereditatem, vel alio modo, personæ suæ intuitu acquisiverunt, donare possunt, atque de ijs disponere, sicuti volunt; sin autem prius mortem obierint, quàm disponant, ad Ecclesiam, cui seruiunt, devolvuntur.

SUMMARIUM.

Cui acquirantur bona Clericorum patrimonialia sine hærede decedentium.

Notandum, Si Clericus non habens consanguineos, qui jure sanguinis succedere debeant, absque testamento moriatur, Ecclesia, cui servit, succedit in bonis ejus proprijs, seu patrimonialibus, de quibus testari potuisset. Hic est hujus Capituli communiter receptus intellectus, & consentit *c. 2. causà 12. q. 3. & c. ult. q. 5.*

Sed quid si Clericus clericalibus privilegijs gaudens ita decedat, qui nulli Ecclesiæ servit, seu beneficiarius non est? Resp. quòd bona ejus devolvuntur ad Ecclesiam, in qua degit, distribuenda secundùm providentiam Episcopi in pias causas, uti hic

docet *Abb. in fine c. & inc. sequente argumento ejus textus*, quandoquidem filius etiam secularis ita succedit, si Laicus absque consanguineis moriatur *L. vacantia 4. C. de bonis vacantibus lib. 10. & docui lib. 3. tra. 5. c. 4. 2. 4.*

CAPITULUM II.

Sancto.

PARAPHRASIS.

Quidam servi Laicorum à Dominis dimissi Sacerdotes ordinati fuerunt, de eorum morientium substantia, Laici illi partes sibi vendicarunt tanquam de proprijs mancipijs. Id in hoc *c.* prohibetur, ne fiat, cum enim servi eo modo dimissi liberi facti sint, ad suscipiendum Ordinem, & divinum celebrandum officium, nihil ab ijs præter divinum officium exigi debet; peculium autem horum Sacerdotum de cedentiù dividatur in 4. partes, quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ tertia pauperibus, & quarta parentibus assignetur; si parentes non idonei sive incapaces sint (videlicet hæretici) Episcopus eam portionem accipiat, & in usum Ecclesiæ fideliter distribuatur. Quòd si aliquis contra hæc agere præsumpserit, excommunicetur.

SUMMARIUM.

Potest quidem Dominus servum manumittens, ut cum licentia suain Sacerdotem ordinetur, retinere sibi spiritualia illius obsequia, ab intestato tamen in temporalibus succedere non potest, neque sibi retinere aliquid.

Uu

Notan-